

1844

Flyer, ...
Flyer, ...
...


...
...
...
...

1845

Flyer, ...
...
...
...
...
...
...

...
...





1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.



1644.

1. Fibiarius, Godefridus: De cessionibus.
2. Fibiarius, Godefridus: Resolutio § 2. p. 38. de poenis
3. Puccschneck, Zacharia: De investitura.
4. Schelkammerus, Christophorus: Hydrops tympanites
5. Schenck, Johann Theodorus: De materia surgente.
6. Angerper, Erasmus: De conventionibus manuum infic.
Lionio

1645

1. Fibiarius, Godefridus: De litis contestatione
2. Krauss, Rudolph Wilhelmus: De regalibus.
3. Krauss, Rudolph Wilhelmus: De usucapionibus.
4. Krauss, Rudolph Wilhelmus: De hereditate.
5. Krauss, Rudolph Wilhelmus: De defensione necessaria.
6. Krauss, Rudolph Wilhelmus: De foro competente.
7. Richter, Christophorus Philippus: Disputatio inang. de
universo juri nostri systemate delibata

1645

J. Sagittarius, Johann Christfriedus :

1646.

1. Krauss, Rudolph Wilhelm : De codicillis.
2. Richter, Christophorus Philippus : De transactionibus
3. Richter, Christophorus Philippus : De injuriis et
famosis libellis.
4. Richter, Christophorus Philippus : De apostolis.
5. Sagittarius, Joh. Christfried : De origine salariorum
et stipendiorum litterariorum.
6. b. c. Struel, Georgius Adam : De aedificiorum priva.
forum jure. 3 Sumpt. 1646 = 1745.
7. Ungepaus, Erasmus : De libello...

in den

L

und

179.



27.



22.

~~XXVIII.~~ Cf. 15. Num. 20.

2

RESOLUTIO
PARAGR. A-
CTORES SEDI-
TIONIS, II. LEG.

XXXIIX. D. DE
POENIS:

1644, 2

P. 447.

Quam,

*Permissu Divini Numinis & Magnifici Jctorum
ad Salam Ordinis,*

SUB PRÆSIDIO

DN. GODOFREDI FIBIGII

Jcti, Consilarii Saxon. Antecessoris, & Adfessoris
Curia Provinc. Facult. atque Scabinatus in alma Salana
dignissimi,

*Domini sui, Præceptoris & Patroni æviternum
colendissimi,*

Publica & placida disquisitioni exponit

JOHANNES WACHENBACH,

Isen. Autor & Resp.

ad diem Augusti.



J E N Æ

E Chalcographéo LOBENSTEINIANO.

M. DC. XLIV.

4



Faint, mirrored text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side. The text is mostly illegible but appears to include a large initial 'A' at the top left, followed by several lines of text. Some faint words like 'BIBLI' and 'LIBR' are visible.



A & Ω.



Aggressurus enodationem L. xxxiix.

Paragr. II, secundum quem Te, ô CHRISTE!
agne Dei innoxie! infamem & extremam cru-
cis mortem, pro publica totius orbis salute,
sustinuisse, non improbabili perhibent, (a)
Te oro, des mihi vera, des recta proferre, tibi in honorem, ve-
ritati in splendorem, Reipubl. in fructum! Ordinem meæ
dissertationis exponat

(a) J. Lips. de cruc. lib. 1. c. 14. Gothofr. in not. ad h. §.
Magnus noster Gerhard. p. m. Harmon. Evang. c. 13. n. 3. de pass.
p. 622.

THESIS I.

Spectabo hunc §. tum in se, tum ipsius usum & Praxin. In
se autem illius & lectionem & partitionem, quæ est in ru-
brum ac nigrum.

2. Lectio §. h. est vel vulgaris vel critica. Vulgaris ita
habet: L. 38. Idem [sc. Paulus] lib. V. sentent.

§. 2. Actores seditionis & tumultus populo concitato,
pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestiis
objiciuntur, aut in insulam deportantur.

3. Criticos duo aliter atque aliter in d. §. legere de-
prehendo. Primum est primum §. vocabulum: Cum enim
textus habeat: Actores: Substituunt quidam *fautores* (a) qui-
dam *authores* (b) quidam verò *auctores* (c) quæ duæ postero-
res substitutiones plausibiliores lectione vulgari videntur,
accuratiùs tamen textum intuenti, sensus unus idemque
erit, (e)

(a) gl. ad n. h. §. (b) Holoander (c) Gothofr. ex Pauli lib. 5.
sent. tit. 22. §. 1. (d) non solum propter l. ult. circ. fin. C. de sedi-
tiosis Jac. Cujac. in notis ad Paul. sent. tit. 22. lib. 5. sed & l. 28.

A 2 §.

§. 3. b. t. cū qui hac lege comprehenduntur, & mitius ac in n. §. puniuntur, aētores & fautores, non etiam auctores dici possint; praesertim si vocabulum aētoris, ut Nannius Syll. §. misc. c. 22. illud exprimit, idem sit quod exercitator, seu executor. (e) Verba enim dum secundum subjectam materiam intelligantur, hīc q̄ p̄nae graviores constitutae sint, quam in d. l. 38. κατ' ἐξ ὄχλῳ vocabulum accipiendum esse, cuius conjecturare licet. vide ad haec quae infra θ. 14. dicuntur.

4. Alterum, quod in hoc §. Lēctionem variat est illud: *in furcam*: Quidam enim in crucem legi malunt (a) sed quamvis hunc posteriorem modum legendi, tanquam nativae hujus legis origini proximiorē, (b) potiorē tamen, prioris & textus rationem habendam esse autumo. (c)

(a) Goth. d. l. ex Paulo, quem quoq̄ sequitur Cujac. in not. (b) ut videre est ex ipso Paulo, d. l. 5. tit. 22. §. 1. (c) cū mutatio ista textus ad Imperialis auctoritatis Constantini, mandatum, à Triboniano facta sit, ut cruci, postquam ipsam Vitam interfecerat, vita amplius non esset ad perniciem, ita loquitur Lips. lib. 3. de cruc. c. 14. vid. idem Lips. d. l. c. 7. ab eodemq̄ allegatus Victor. in histor. Const. Cassiod. hist. trip. c. 9. August. quest. in Vet. Testam. Sozom. l. 1. hist. Eccl. c. 3. Dn. D. Gerhard. p. m. Harm. Evang. c. 13. de pass. n. 3. fol. 623. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 31. th. 6. lit. B. Quae auctoritas facit, ut nemo ex comparatione voluminis, quasi vitiosam scripturam arguere audeat. Constit. de concept. Dig. §. 7. & §. 10. de confirmat. Dig.

5. Rubrum est vel generale vel speciale. Generale nos in cognitionem materiae deducit. Materies autem quae hīc insinuat ur est de p̄nis: In vocabulum istud, quod secundum Varronem à puniendo vel à p̄nitendo (a) derivatur, evagari operae precium non duco; ut nec in varia ejus significata, quando in jure vel pro usura (b) interesse (c) culpa (d) aut cuiusvis noxae vindicta (e) sumitur, cum potissimum hīc pro p̄na accipiatur criminali. Criminalem autem p̄nam voco; quae publicè infligitur & fisco applicatur. (f)

(a) lib. 4. ling. Lat. (b) l. 40. ff. de reb. cred. (c) l. 19. ff. judicat. solvi. l. 10. ff. de eo quod cert. loc. (d) l. fin. D. de fidejuss. (e)

(e) l. 131. ff. de V & R. S. ubi latè Gædd. & Alciat. Dn. D. Theod. in coll. crim. disp. 10. th. 1. (f) laudatus Dn. D. Theod. d. l. th. 2. lit. D.

6. Sciendum verò est varia variarum Gentium (a) & sæpè unius pro statu aut capitis Reip. (b) temporis (c) & loci (d) mutatione delictorumque augmento & decremento (e) fuisse criminalium pœnarum genera, (f) eorundemque executionem (g)

(a) Hinc videmus attestante Dn. D. Gerbardo c. 8. Harm. Evang. de pass. crucis supplicium apud Judeos locum non habuisse, ut apud Romanos. Rabinosq; dicere: Non est mos in Israël, ne clavos figant in manibus aut pedibus hominum. & R. Salom. Quatuor supplicia tradita sunt domui Judicij; lapidatio combustio, occisio gladii & suffocatio seu strangulatio. Athenienses veneno necasse, quod Romanis exosum erat. Diodor. 18. ubi de Phocione. (b) Hinc Neronem, Claudium, Caligulam, Octavium & c. alia atq; alia excogitasse ac permisisse supplicia, refert Sueton. in vit. ips. Hinc est, ut quod Lex Valeria prohibuit, L. Porcia rursus introduxerit. Liv. 10. Cic. pro Rab. & lib. 5. in Verrem. Unde & etas post Constantinum supplicium rotæ, quod non substitutum fuit cruci sed furcam usurpavit. Bach. ad Tr. vol. 2. Disp. 31. th. 6. lit. B. Cajac. 3. obs. 28. in fin. (c) Sic belli tempus reducit, ut quod jaculis antea fieret, nunc globulis faciant milites, iisdemq; delinquentes necent. Dn. D. Carpz. prax. crim. q. 128. n. 17. (d) Hinc ubi ob aquæ incommoditatem suffocatio fieri non possit, rotæ supplicium in parricidam adhibetur. Dn. D. Theod. coll. crim. disp. 7. th. 8. lit. G. (e) l. 16. §. 10. ff. de pœnis. (f) Carpz. prax. crim. q. 128. n. 15. Jul. Clar. pr. Crim. l. 5. q. 67. Petr. Fab. Sem lib. 2. c. 7. vers. verum & c. (g) Sic decollatio gladio faciendâ à quibusdam securi fiebat l. 8. D. de pœnis, ut Caracalla in Papiniani percussorem effuderit, Gladio exequite oportuit meum jussum. Spartian. in Caracalla & in Geta. Xiphil. in Caracalla. Sic adhuc hodiè in summerfione in aquam terris Saxon. animalia fera adhibentur, quod in terris Thuringiæ non fit. Dn. D. Pet. Theod. colleg. crim. a sp. 7. th. 8. lit. G. prope finem.

7. Sicut autem ipsæ poenæ in se variæ: ita Dd. quoque in constituenda capitalium poenarum divisione secundum jus nostrum, non unius capituli sunt (a) plerique tamen illam retinent, quod sint vel capitales vel non capitales. (b) Priorum tres constituunt gradus, (c) quorum primus & summus ultimum supplicium vocatur, (d) & in se continet juxta Callistratum (e) crucifixionem, vivi concremationem & capitis amputationem; quibus damnationem ad bestias seu bestiis objectionem adjecerunt Marcianus & Gajus (f) sicut & alii immersionem insuti culleo cum cane, & Gallo gallinaceo & vipera & simia (g) & his omnibus vita naturalis tollitur.

(a) vid. Carpz. part. 3. pr. crim. quest. 102. (b) l. 2. pr. ff. de publ. judic. Carpz. d. loc. Dn. D. Petr. Theod. disp. 10. th. 2. Colleg. Crim. Jul. Clar. pr. Crim. l. 5. quest. 67. Gædd. disp. 16. th. 3. (c) Jul. Clar. d. loc. Carpz. d. loc. (d) l. 28. l. 21. l. 29. ff. de poen. (e) d. l. 28. D. de poen. (f) l. 11. & l. 21. d. t. Pet. Faber. Sem. l. 2. c. 11. (g) l. 9. ff. ad L. Pompej. s. 6. I. de Pub. Jud.

8. Poenæ capitales secundi gradus sunt: damnatio (a) in ludum venatorium vel gladiatorium (b) in metallum aut opus metalli (c) quibus tota vita civilis in libertate & civitate consistens, (d) adimitur.

(a) datio ad bestias alias. l. 12. ff. de poen. (b) Gothof. in not. ad l. ad bestias. 35. ff. de poen. Pet. Fab. Sem. l. 2. c. 11. l. 6. s. 11. ff. d. t. (c) l. 36. l. 17. ff. de poen. (d) Wesenb. π. d. t. Carpz. pr. Crim. p. 3. quest. 102. n. 6. Jul. Clar. lib. 5. q. 67.

9. Tertii verò gradus enumerantur: In opus publicum perpetua datio (a) & in intulam deportatio, (b) quæ in locum ignis & aquæ interdictionis successit, (c) & his civitas perditur. (d)

(a) l. 17. ff. de poen. (b) d. l. 17. l. 28. ff. d. t. (c) l. 2. D. de poenis. (d) d. l. 17. ff. de poen. l. 2. de publ. jud. l. 15. ff. de interd. & releg. & c. Carpz. d. loc. & alii passim.

10. Non capitales poenæ sunt, quæ non ad capitis periculum, sed ad existimationem pertinent (a) & sunt vel corporis afflictivæ: (b) ut membri abscissio, fustigatio, relegatio, & c. vel pecuniariæ, ceu multa & bonorū confiscatio. (c)

(d)

(a) l. 28. D. de pœnis. (b) l. 2. D. de publ. Jud. (c) Jul. Clar. sup. d. loc. Gædd. ad l. 103. & Alciat. ibid. D. de V. & R. S.

11. Rubrum speciale sic exhibetur: L. 38. Idem [scil. Paulus] l. b. V. Sent. Paulus, qui & Julius Paulus (a) dicitur, vir prudentissimus (b) Patavinus fuit & Alexandri Severi temporibus vixit, cujus & Præfectus & Consiliarius, ac Papiniani cum Ulpiano adfessor. (c) Scripsit ultra illos 149 libros, (inter quos & allegati V. sentent. reperiuntur) qui in Catalogo Dig. præmissio, habentur, adhuc multos, quos recenset insignis hujus rei Notator Georg. Eberlin. (d)

(a) l. 81. de condit. & demonstr. l. 22. ad L. Falcid. (b) in Const. ad Antec. de rat. trad. Jur. S. Sed quia solitum. (c) id quod luculenter apparet ex inscriptione, quam Patavii in foribus Palatii super imagine hujus rei conspiciendam esse refert Georg. Eberlin. de orig. Jur. c. 52 n. 38. (d) in d. tit. de orig. Jur. Quæ ita de L. & S. h. rubro.

12. Nigri summaria consideratio ea est. Continet hic §. n. Seditiois à diversæ conditionis personis commissæ coërcitionem.

13. Particulatim autem exhibet tria: (1) Id quod puniendum (2) Pœnas, quibus puniendum & (3) Modum seu Mensuram, secundum quam istiusmodi pœnæ justè irrogentur.

14. I. Id quod puniendum subjectum pœnæ est, & describitur his verbis: *Actores seditiois & tumultus populo concitato*: estque concretum ex persona & crimine: Persona dicitur Actor seu Actores, & quidem vehementiori significato, quàm alias vocabulum actoris sumitur (a) ita ut accedat ad illam significationem quæ actor villæ (b) & actor servus (c) appellatur.

(a) l. 29. & 30. D. de Procurat. (b) actor ville apud Ansegisum lib. 4. capit. cap. 41. v. 9. teste Barth. advers. lib. 21. c. 7. vocatur ville Procurator. (c) actor servus, dispensator in familia Trimalcionis à Petronio nominatur. Sunt actores, servorum præcipui & qui pro Dominis agunt, juxta Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 29. quo sensu & apud Apulejum dicitur, vid. Barth. d. l.

15. Crimen, Seditio & tumultus concitato populo, dicitur, atque ita pluribus vocabulis delineatur. (a) Est autem Seditio, quando populus clamoribus aut verbis contumeliosis concitatus (b) contra publicam disciplinam (c) in diversas partes se dat (d) atque ita unio ipsius tollitur. (e) Unde actor seditionis, qui concitat, qui que clamores aut verba contumeliosa (puta: quia dicit, volo esse consul propter nobilitatem meam &c.) (f) populi concitandi causa jactat. (g)

(a) ita apud Isid. lib. 26. Seditio dissensio civium dicitur, quod seorsim alii ad alios eant, ibique maxime turbatione rerum & tumultu gaudeant. Boss. de crim. les. Majest. n. 9. (b) Theod. in Coll. Crim. disp. 5. th. 3. lit. e. (c) l. 2. C. de Seditios. (d) l. 1. C. d. tit. (e) Martin. Lex. sub voc. sedit. (f) gloss. in summ. sup. d. tit. Dn. D. Pet. Theod. d. loc. (g) gl. ad l. 2. C. de Sedit. lit. L.

16. II. Poenarum, quibus hoc delictum coërcetur, tres in §. n. occurrunt species. Prima secundum distincta tempora & duplicem §. d. Lektionem duplex (a) quoque est (1) crucifixio (2) in furcam sublatio.

(a) de harum poenarum diversitate videre est Just. Lips. in de cruc. lib. 2. & 3.

17. Crucifixio fuit poena extrema ac gravissima, servorumque propria, quâ post flagellationem crucisque exportationem damnati nudè, extensis brachiis ad superiores ejus antennas manibus, dextraque priùs, pedibus verò ad stipitem clavis ferreis affigebantur àque stillante sanguine & fame enecabantur.

Latè hac de re Lipsius de cruce lib. 2. per tot. & Dn. D. Gerb. in Harm. Evang. sup. allegat. loc.

18. In furcam verò sublatio, (a) quam hodiè patibulum communiter vocamus, poena est, quâ instrumento è triplici ligno formâ jugi veteris (aut furcæ illius, quæ per humeros perque pectus ivit) (b) compacto (c) homines laqueo strangulabantur. (d)

(a) nova furca hinc intelligenda est ex Lips. c. 7. lib. 3. Bach. ad Ir. vol. 2. disp. 31. th. 6. lit. 2. (b) ex Dionys. Lips. c. 5. d. l. (c) d. l. c. 7. (d) Lips. d. l. & in notis ibid.

19. Secunda Poena, objectio bestiis facta, fuit, quâ homines, cives Romani magis, (a) ad stipitem surrecti (b) ligabantur, & bestiis, Elephantis, Leonibus, lupis &c. (c) è caveis emissis (d) in edendis populo spectaculis, (e) ut protinus (f) aut intra annum (g) laniarentur, exponebantur.

(a) P. Faber Sem. lib. 2. c. 7. (b) surrecti, i. e. rekti ligati ut Lips. interpretatur d. l. 3. c. 11. Quod tamen num huic poenae perpetuum fuerit, dubitare licet. (c) Africanas vocat Plinius ep. ult. lib. 6. Libycas Diod. lib. 58. Cyprian. Epist. 103. ad pleb. (d) Sueton. in vit. Neron. quâ viros feminasq; ad stipitem deligatos ipse fere pelle contactus, emissus è cavea, medios invadebat; P. Fab. sem. lib. 2. c. 7. (e) Flav. Vopisc. in vita Probi refert L. Syllam in circo Leones solutos dedisse cum alioquin alligati darentur, quod quamvis de Ludo venatorio dictum videatur, attamen etiâ apud Dion. lib. 58. & Sueton. in Caligula c. 27. extat. Noxiis deficientibus, (qui ut bestiis objicerentur damnati fuerant) ex populo, tabulis ad spectandum insidente, plurimos rapi ut bestiis & ipsi subjicerentur, jussit. vid. P. Fab. semest. lib. 2. c. 7. circa fin. (f) id notavit Budeus ad l. aut damn. §. quicumq; fol. 119. & cum putaret per hoc distingvi illos, qui bestiis objicerentur ab his qui damnarentur ad bestias, dicam ipsi scripsit Jac. Cujac. observ. 10. lib. 13. Verum ut benè per id distingvuntur ab his, qui damnantur ad bestias in ludum. Bude. ibid. Carpz. part. 3. pr. crim. quest. 128. n. 28. ita opinari quis posset annon etiam ab his, qui damnari dicuntur, ut intra annum demum consumantur; quippe cum Lips. de cruc. lib. 3. c. 11. fixos bestiis objici, propriè dicat, qui per annum inconsumti non mansere. (g) P. Fab. egregiè hac de re lib. 2. semest. c. 11. propè fin. Cujac. d. obs. 10. Paul. sent. lib. 5. tit. 17. l. 29. D. de poen.

20. Tertia Poena est: In insulam deportatio: Ea a talis poenae species est; quâ damnati per interdictum (a) perpetuò (b) in insulam certam (c) relegabantur. (d) Et eo ipso civitatem amittebant; (e) unde illorum statuae detrahebantur (f) nec manumittere (g) aut quicquam illis in testamento, si à Principe deportati fuerunt, præter alimenta, relinquere poterat. (h)

B

(a) per

(a) per interdictum illam factam fuisse apparet ex l. 7. §. 17
& quod surrogata fuerit in locum interdictionis ignis & aquæ Cu-
jac. obs. lib. 7. c. 39. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 31. §. 6. lit. C.
Carpz pr. crim. p. 3. quest. 130. n. 13. (b) l. 18. §. 1. D. de interd.
& releg. (c) l. 5. l. 7. d. t. (d) d. l. 7. (e) l. 14. d. t. (f) l. 24. D.
de pæn. (g) l. 2. D. de interd. & releg. (h) l. 15. & l. 16. D. d. t.

21. Mensura, secundum quam prædictæ hæc seditiosis
communes pœnæ irrogentur §. n. vocatur dignitatis quali-
tas. In genere dignitas est idem quod meritum: Hinc dici-
mus τὴν ἀξίαν pro dignitate, pro merito. Et justitia quo-
que vulgo definiri solet, quæ suum cuique tribuat prodigni-
tate; Sed improprie. (a) Ita Doctissimus Giphanius comm in lib.
5. c. 3. Eth. Arist. p. 357.

(a) Martin. sub vocab. dignitas, (b) cum dignitas sit forma
per quam dignum est id quod est.

22. Tripliciter autem in jure dignitatis vox accepta
reperitur. Etenim (1) In L. Imperatores. 13. D. de Decur. §. 1.
legitur: Relegatos non posse tempore finito in ordinem Decurio-
num allegi, nisi ejus ætatis fuerint, ut nondum Decuriones creari
possent & dignitas certam spem ejus honoris (&) id faceret, ut
Princeps indulgere possit. Ubi dignitas non pro Decuriona-
tu (a) sed pro oris probitate morumque præstantia in facie
eminente sumitur (b) alii indolem hujus dignitatis speciem
vocant, (c) alii aptitudinem (d)

(a) id voluit. Accurs. (b) observavit id Budeus in not. ad d.
§. Cujac. obs. ult. lib. 20. Gothofr. in not. ad d. §. (c) Plinius in
ep. Gothofr. in not. d. l. (d) Grotius l. 1. c. 1. de jur. Bell. & Pac.

23. (2) Accipitur pro honore alicui propter merita
specialiter, principis vel legis beneficio impenso Bart. in l. 1.
C. de dignitat. Et hæc κατ' ἐξοχήν dicitur dignitas (a)

(a) Bodin. lib. 3. de Rep. c. 8. fol. 551. & seqq.

24. (3) Vocabulum dignitatis pro quacunque perso-
næ conditione, quam in Republica & communiōne quis ha-
bet.

25. Utraque posterior dignitas hîc intelligitur. (a)

(a) Cùm

(a) *Cum n. S. n. jubeat ut pro dignitatis qualitate seditiosis
subjectarum poenarum capitalium irrogatio fiat. Decuriones au-
tem civitatum propter capitalia crimina deportandos vel relegan-
dos Divi fratres rescripserint l. 6. D. de interd. & releg. & apud
Rom. patibulum abominandum & infame habitum fuerit, ut ho-
mine libero quamvis nocente indignum videretur. Lactant. Fir-
mian. lib. 4. Inst. c. 26. Servis v. crux fixa esset. Pet. Fab. semest.
lib. 2. c. 8. Vult d. s. ne Decuriones objectione bestiis faciendâ,
multò minùs v. furcâ: nec cives cruce puniantur. Ratio v. hujus
rei videtur, ea, quod bona & dignitates suppleant id, quod gravi-
tas delicti exigit, præsertim cum aliâs bona & dignitas altera ho-
minibus vita sint alter sanguis, ut loquitur, Accursius, ac eruditi-
us Johan. Meursius in miscell. animadvers. ut & Ulysses ad Pene-
lop. apud Ovid.*

Viscera nostra, tua dilacerantur opes.

Quibus ita finimus hujus §. theoriam.

26. Praxis quæ restat, cum duplex sit; hodierna, de
qua nos magis sollicitos esse oportet, & vetus. Qr. 1. de il-
la: Hodiè v. hujus §. in hypothese nullum, præsertim in fo-
ro Saxon., (a) aliquem saltem in thesi usum esse conspi-
cimus. (b)

(a) *Cum hæ pænæ omnes fermè ab usu recesserint. Carpz. p.
3. pr. Crim. quest. 28. & seqq. latè. (b) Hinc est ut in authores po-
tius quam ipsam plebem tumultuantem inquiramus, illosq; pænæ
subjiciamus Dn. Pet. Theod. colleg. crim. disp. 5. §. 3. lit. e.; Carpz.
p. 2. pr. Cr. quest. 100. n. 9.*

27. Praxin veterem quod attinet illam fictâ sub imagine
& casu aliquo revocabimus unaq; tractationem §. n. ad um-
bilicum adducemus. Casus talis est: Decurio quidam servus-
que ipsius & milites aliquot unâ manu, unâque operâ popu-
lum susceperunt, vehementesq; ipsius motus suscitaverunt. Insti-
tuitur causæ cognitio, delictum aestimatur & tandem fertur
sententia condemnatoria, ita scilicet. Decurio depor-
tetur, Milites bestiis objiciantur: Servus verò furcæ appen-
datur. O sententiam! quâ ob idem delictum diversis pœ-
nis uniformiter delinquentes afficiantur? Imò: diver-

ſæ conditionis personæ ſunt, quæ non niſi diverſis pœnis Geometricè-æqualibus afficiantur (a)

(a) Datur eadem praxis in LL. quam plurimis, ut pote l. 6. pr. D. ad L. Jul. peculat. l. 9. §. 11. l. 10. pr. l. 14. l. 16. §. 3. l. 28. §. ult. D. de pœn. l. 5. D. de re milit. l. 1. §. pen. D. ad L. Corn. de ſcar. l. ad beſtias 31. D. de pœnis. Datur eadem (ſi Sacra profanis miſcere liceret, quod tamen abſq; piaculo ut reor fecere Lipſ. Læſant. lib. 4. Inſt. Dn D. Gerhard. ab initio alleg. loc.) in noſtri Salvatoris innocentiffimi, condemnatione cum toto fermè hujus §. Proceſſu. vides ibi populi accuſationem de Seditioe. contumelioſiſq; (ut ii opinabantur) verbis, Chriſtum velle Regem eſſe, coram Pilato factam: vides ſcrutationem, vides flagellationem, vides demum condemnationem, quæ ſine dubio talis: Sicut ſe iſte habet ad Rempublicam, ita capitaliter puniatur, & vel crucifigatur, vel beſtiis objiciatur, vel deportetur, ſed habet ſe ut ſervus, ut minimus. E. crucifixionem ſuſtineat. At manum retraho. Præſtat ea meditari, & menti imprimere quàm chartis. videre videor, quid objicere nobis paratus ſis!

28. Ain' ? Litem illam tuam facies hac tua ſententiã, quã utrum in pœnis irrogandis ad conſtituendam æqualitatem obſervetur proportio Geometrica an arithmetica? quæritur. Salva res eſt, Tibi, ſi moleſtum non fuerit pagellis hiſce ampliùs inhærere, mihi moleſtum non erit hac de controverſia, latiùs tecum diſſerere, & id lubentiùs cùm neceſſitatis telum exigat vehementiùs, maximè ob bellum, JCrus quibusdam, nominatim Weſenbecio Viro illi incomparabili, ac de Republ. litterariã meritiffimo, nec non Ampliſſimo diſputationis hujus Præſidi, Domino meo colendiſſimo, ſuper hac quæſtione ab uno vel altero indiſtum.

29. Quò verò majori cum commodo fiat à gemino ovo & paulo altiùs rem exordiar atque ita progrediar; ut prius quædam præſupponam, hiſce deinde deciſionem apponam, & tùm demum ad argumenta contraria respondeam.

30. Præſuppoſita quod attinet, ea erunt: In æqualitatis conſtitutione omnis juſtitie vis poſita eſt. (a)

(a) id

(a) id præclare ostendit Aristot. lib. 5. Eth. c. 3. Plat. lib. 5. & 6. de Legib. Hinc eam à sapientissimo Seneca partem primam æquitatis seu Justitiæ & ab eodem Ar. communem Juris ac amicitie parentem appellitari videmus & confirmat id ipsum eloquentissimus Cicero lib. 1. Offic. Difficile inquit, est, cum omnibus imperare concupieris, servare æquitatem (i. e. æqualitatem) quæ est Justitiæ maximè propria.

31. Æqualitas hinc non intelligitur, omnimoda & simplex, quæ est κατὰ ἀριθμὸν ubi non considerantur res observatis scilicet omnibus circumstantiis personarum & rerum attributis, quam κατὰ ἰσότητά vocat, quæque rerum quasi ταυτότης est & ab aliis etiam identitas rerum secundum speciem appellatur (a) Sed ea æqualitas, quæ comparata, κατὰ ἀναλογίαν & proportionem ac nihil aliud est, quàm identitas proportionis, sive medietas inter plus & minus proportionem, seu proportionalitatem quadam constans.

(a) huic æqualitati respondent numeri pariter pares & æqualiter æquales, pro ut vocantur ab Aristot. lib. 1. M. M. Mullerus Arith. Arist. th. 35. p. 33. in fin. & pag. seq. pr. Hanc æqualitatem ex mente Aristot. lib. 5. Eth. c. 5. Pythagoreorum jus seu justitiæ τὸ ἀπὲν πεπενητός talio seu retaliatum vel reciproca passio, repassio dicta consistere videtur, quod tamen hanc largiuntur alii, ideoque Pythagoreorum jus talionis exigua cavillatione ab Aristotele reprehendi post Philipp. Camerar. & Ehemium scribit Dn. Wolfgang. Heid. Philol. & Philosophus quondam celeberrimus in hac ipsa Salana p. 2. Phil. moral. p. 863. in fin. & 864.

32. Hinc æqualitas illa analogica in quatuor minimis h. e. in quatuor terminis homogeneis vel actu vel potentia, subsistere dicitur, quorum duo sunt, duæ res (a) reliquæ verò duæ personæ (b)

(a) Aristotel. vocat ἐν οἷς in quibus æqualitas (a) has Arist. οἷς appellat. quibus accidit æqualitas vide lib. 1. M. M. c. 31. & lib. 5. Eth. Nic. c. 3. & ibid. eleganter differentem Acciaiolum. n. 25. Et hi termini actu sunt in proportione discreta, potentia verò in continua de quo mox infra.

33. Proportio, verò duplex hic proponitur: Arithmetica & Geometrica: Arithmetica est æqualitas differentiarum seu intervallorum, inter binos (& binos) numeros. (a) Differentia autem dicitur, quâ unus numerus alterum excedit aut ab eodem deficit & cognoscitur ex subtractione (b)

(a) Muller in Arith. Aristot. disp. 2. tb. 65. (b) Muller, d. l. tb. 42. Micral. Arith. sect. ult. §. 13.

34. Proportio Geometrica est æqualitas identitatis similitudo rationis aut rationum, quas inter se bini (& bini) numeri habent. Ratio autem est quoties unus numerus in altero continetur vel vicissim unus continet alterum (a)

(a) Mull. & Micral. d. l.

35. Inter hæc proportionibus notabilis hæc intercedit differentia, ut in proportione Arithmetica medius terminus æqualiter absit ab utroque extremorum. In Geometrica vicinior uni extremo, quam alteri, modò huic modò illi, quo nomine & virtus comparatur medio Geometrico cum aliquando excessui, quandoque defectui proximior & similior sit.

Arist. 2. Ethic. c. 6. & 8. 5. Polit. 1. Mull. d. l.

36. Ultraque verò proportio aut continua seu continens vel conjuncta, sive discontinua, discreta, sejuncta vel interrupta est. Continua est, quæ habet unum communem terminum, qui repetitur bis & duorum loco est (a) Discontinua dicitur illa, quæ omnes habet terminos dejectos nec ullum terminum communem.

(a) Mull. d. l. Heizo Buscher. lib. 2. Arith. c. 7. p. 167. (b) v. g. Sic ut se habet 3. ad 6. ita 8. ad 16. quo circa paulo antè dixi quatuor minima in hoc actualiter concurrere, & quidem hic est primus terminus ad secundum, sic uti tertius ad quartum, secundus verò & tertius sunt diversi, ita ut quemadmodum primus est ad secundum, ita secundus non sit ad tertium. Hic n. duplæ sunt rationes inter primum & secundum, & inter tertium & quartum eademq; ratio est primi ad tertium, quæ secundi ad quartum, at non eadem inter secundum & tertium, ut scribit Heizo Buscher. lib. 2. Arith. cap. 1. n. 152. Exinde etiam nomen interruptæ proportionis

nis esse dicitur, quod in ea binis equalibus rationibus primi ad secundum & secundi ad quartum interveniat una tertia ratio inter secundum & tertium priores interrumpens Muller, Arith. Arist. lib. 6. p. 43.

37. Proportio Geometrica dividitur in reciprocam, inversam & directam. Directa est, in qua sicut primus antecedens est ad suum consequentem, h. e. primus terminus ad secundum; ita secundus antecedens, ad suum consequentem h. e. terminus tertius ad quartum & promiscuè, mutatoque ordine (a)

(a) Accialol, in c. 3. lib. 5. Eth. Ar. p. 366. 369. & 370. Ita secundum hanc proportionem, si rebus & personis eam accommodemus, fit, ut sicut se habeat persona ad personam ita res ad rem; & promiscuè sicut se habeat persona ad rem, ita persona ad rem; item sicut se habeat persona ad personam & res ad rem; ita persona & persona simul; ad rem & rem simul; ac promiscuè sicut se habeat persona ad rem & persona ad rem, ita persona & res simul ad personam & rem simul.

38. Proportio Reciproca seu eversa est, Aristoteli ἀναστροφῆς & λόγος rationis eversio, dicta, in qua sicut primus antecedens, ad antecedentem secundum, i. e. primus terminus ad tertium; ita ἀνάπαλιον & vice versâ consequens secundus ad consequentem primum, h. e. quartus ad secundum, se habet. Et ut in directa factus à mediis terminis æquatur facto ab extremis; sic in reciproca factus à duobus prioribus æquatur facto à binis posterioribus. (a)

(a) e. g. In hisce numeris adest proportio Geometrica inversa 4. 3. 2. 6. Sicut ergò quatuor se habent ad duo, ita 6. ad 3. quia bis duo quatuor, bis tria sex efficiunt, & quatuor per tria multiplicando tantum faciunt, quantum sex per duo. Tern. 4. sunt 12. & bis 6. sunt 12.

39. Verùm enim verò hinc summoperè notandum est, terminos prædictos Mathematicos proportionis Arithmeticae vel Geometricae per similitudinem tantum æqualitatis & iustitiæ materiae accommodari ex eo, quod ibi fit aliquid simile vel proportioni Arithmeticae vel Geometricae. Vel enim
æqua-

æqualitas simpliciter ex rerum ipsarum modo ac mensura
æstimatur, res rebus adæquando nec ullum ad personarum
dignitatem respectum, sed potius eas pro æqualibus habendo,
vel simul ex dignitate personarum, ut scilicet eadem rerum
ad se ratio sit, quæ est personæ ad personam: Illic personæ
quæ extra comparisonem etiam inæquales sunt, in comparisonem
verò æquales aut pro æqualibus habentur, æqualia, hinc verò
in comparisonem inæquales, inæqualia consequuntur, ut æqualitas
recta constituatur. Æquum enim duobus modis accipi potest,
uno modo, ut nec superet, nec superetur, alio modo, ut superet
quidem, sed tamen servet æqualitatem respectu personarum,
quibus distribuitur. Et nisi prædicto modo fieret distributio
pugnæ, rixæ & expostulationes extarent. *Arist. d. l. & ibi Giphon. Plato lib. 6. de LL.*
Utraque igitur proportio ad unum eundemq; tendit finem, qui est
æqualitas, & in hoc tantum altera ab altera discriminatur, quod
in Geometrica proportione ex conditione personæ in arithmetica
tantum ex rebus æstimetur. (a)

(a) *Dn. Prof. Colleg. Publ. diss. 1. semid. quest. ult. n. 24.*

40. Ex prædictis manifestum est, quis genuinus sensus
sit quæstionis nobis præpositæ: Nimirum hinc, utrum in
irrogandis pœnis ad constituendam æqualitatem analogicam
sufficiat, ut res rei simpliciter adæquetur, an verò necessario
simul habeatur respectus ad personas.

41. Respectus personarum habetur, quando ἀξία vel
dignitas personæ attenditur, quod ἀξίας vocabulū pro omni
eo, cuius respectu quis tanquam civitatis vel alterius
communione membrum alteri præfertur, sive pro quacunque
prærogativa, (a) quam unus præ altero habet, rectè à quibusdam
accipitur.

(a) *per ea quæ Arist. lib. 5. Eth. c. 4.*

42. Tandem monendum, pœnas esse duplices, civiles
& criminales: Illæ privatum partis læsæ damnum; hæ verò
primariò Reipubl. interesse respiciunt. Utraque pœnarum
species præsentis considerationis esse poterit.

(a)

(a) *Duaren. 1. disp. 35. Cujac. 8. obs. 33. Don. 15. com. 25. Sutholt. dissert. 16. th. 8. & 9.*

43. Hisce præsuppositis accingimus nos ad ipsius Quæstionis decisionem, adque illam respondemus: ad constituendam analogicam æqualitatem in pœnis irrogandis utramque proportionem & Geometricam & Arithmeticam observari: Illam, quoties & quando dignitas, honor, aut æq̃tia (quæ hîc pro uno eodemque accipimus) personarum spectatur, hanc verò quoties ea negligi Lex vel recta ratio præcipit, & personæ pro æqualibus habentur.

44. Hanc in sententiam me duxere vestigia magni nostri Theologi Dn. D. Gerhardi p. m. tom. de Mag. Polit. pag. 1040. in fin. & Clarissimi Viri Dn. M. Wolfgangi Heideri, Phil. Mor. p. 2. pag. 861. bigæ quondam Professorum in hac inclyta Salana Publicorum incomparabilis, nec non ex parte eorum, quorum syllabum in fine subjiciemus, penes quos multas & sat urgentes rationes reperire est, quas ne actum ageremus, huc transcribere nolimus.

45. Ut ergò necessarium non duco, pluribus stabilire, quandam pœnarum irrogationem Arithmeticâ Proportione uti; Cùm non desint, qui omnes omninò pœnas ad eam referant, & illud magis, quàm hoc controverti noto notius sit. Ita id potissimùm nobis profuturum speramus, & agendum putamus, ut demonstratum demus: Proportionem Geometricam in quarundam pœnarum irrogatione non posse non locum habere.

46. Vim autem omnem nostræ assertionis pro ratione temporis & scopi nostri unico isto includemus argumento; quod à Dn. Præside ex Coll. ipsius Legali Publ. disp. I. semid. q. ult. mutuò assumimus, atque ita habet: *Ubicunque æqualitas rerum æstimatur ex conditione personæ, & tantum mediante ipsius respectu ad justitiam devenitur, ibi est proportio Geometrica: Atqui in pœnarum inflictione hoc fit. E.*

47. Majoris probationem desumptam exhibemus (1) ex Arist. lib. 5. Eth. N. c. 4. (a) (2) ex Dn. D. Hornei. Phil. Mor. lib. C

lib. 3. c. ult. (b) & (3) ex analogia & proportione, quæ in contractibus attenditur. Minoris verò ex ipso Hornejo (c)

(a) ubi expressè docet legem in irrogandis pœnis tantum differentiam damni intueri, & personis ipsis uti tanquam equalibus. (b) scribentis: Æqualitas autem ista vel ex dignitate personarum estimatur, vel simpliciter tantum ex rerum ipsarum modo ac mensura: tertium enim dari nequit. (c) qui dicto lib. 3. c. 13. respectum personarum in pœnis irrogandis observandum, & à LL. nostris præscriptum haut diffitetur, vid. pag. 495. in medio. pag. 505. & 506. ac passim. Et quamvis aliàs nos non lateat unius auctoritatem hac in re non sufficere, maxime cum post alios, quoad cetera, eandem cum Dn. D. Hornejo foventes sententiam, etiam Giphanius comment. in lib. 5. Eth. Ar. c. 4. pag. 374. contrarium statuere videatur, dum ait: ea quæ de pœnarum differentia respectu plebeji & nobilis servi & liberi fuerunt constituta, partim extra jus Politicum esse, quod inter cives locum habeat, partim Juri naturali adversari, neq; in Politico Jure, quod ex naturali manat, non esse admittenda: Nolo tamen quenquam celare, quod tunc temporis Dn. Præsidis disput. alleg. κατ' ἀναγωγὴν & hypothesebus Dn. D. Horneji superimposita fuerit, atq; ita nobis in præsentiarum sufficientissima est.

48. Hoc argumentum uti novum non est, nec etiam pro novo venditatur, ita nil novi, quod alicujus roboris sit, (quamvis ex novitate sola neque quippiam approbamus neque reprobamus) eidem sive in specie, sive in genere oppositum videmus.

49. Speciatiim deprehendimus ab adversa parte quædam ex fundamentis argumenti allati, intacta relinqui, quibusdam substitui (1) Majoris probationem desumi ex natura proportionis Geometricæ, quæ per hoc distingvatur ab Arithmetica, quod personarum inæqualem conditionem respiciat: Minorem autem desumi (1) ex Arist. Eth. lib. 5. (2) ex LL. Civilibus. (2) Responderi ad utramq; propositionem (ubi ambiguè dicatur, æqualitatem rerum estimari ex conditione persona, & tantum mediante ipsius respectu ad justitiam deveniri) quadam distinctione, quæ tamen magis sensum ejus implicare, quàm explicare videtur.

50. Ut ut verò substitutionem toleremus: Nullatenus tamen mentem Domini Præsidis aliter fuisse, quam ut verba, eorumque sat distinctus positus innuit, concedere, aut ullum allatæ distinctionis membrum approbare possumus.

51. Prius sic sonat: Vel intelligitur Major ita: *Quod persona conditio per se tantum ad rerum, quæ inter se debent exæquari mensuram, & sic ad ipsam æqualitatem per accidens, & remotè saltem concurrat*: Verum in hoc confunduntur (1) termini remotè & per accidens, dum æquipollenter accipiuntur. Cùm tamen non omne, quod remotè influit in effectum, per accidens influat, sive sit causa per accidens. Hinc posito interdum *αξία* ad æqualitatem concurrere remotè, non tamen sequitur, illam per accidens ad æqualitatem concurrere; maximè cum causa per accidens, non paucis æquivoce tantum ita dicatur, nec pro verâ causâ habeatur, quæ tamen lis hûc non spectat. (2) vocabulum *tantum*, quod nos verbis, mediante conditione personæ ad justitiâ devenire, apposuimus, retrahitur, & ad τὸ ex conditione personæ æstimare æqualitatem rerum, agglutinatur.

52. Posterius membrum ita habet: *Vel intelligitur, quod conditio personæ per se & immediatè concurrat ad ipsam æqualitatem*: Ubi iterum æquipollenter sumuntur & confunduntur, per se & immediatè, qui tamen termini diversissimi sunt; v.g. Is qui removet id, quod impediēbat, ne grave deorsum, aut leve sursum tenderet, is immediatè concurrat ad remotiorem impedimenti gravis, vel levis, & tamen quandoque per accidens dicitur movere.

53. Sed sequitur nunc hujus distinctionis facta applicatio, quæ eò tendit, ut major propositio priori sensu falsa, minor vero vera, & in altero posteriori sensu major vera, sed minor falsa sit, Major enim prioris membri talis erit; *Ubi-cunq; æqualitas rerum æstimatur ex conditione personæ & mediante ipsius respectu ad justitiâ mensuram devenitur, & sic ad ipsam æqualitatem remotè saltem concurrat, ibi est proportio Geometrica &c.* Minor, ita sonabit: *Atqui in pœnarum inflictione res æstimatur ex conditione personæ & mediante ipsius res-*

Et ad justitiæ mensuram devenitur, & sic ad ipsam æqualitatem illa remotè concurret.

54. Ex posteriori verò membro Major hoc modo limitabitur: *Ubiq; æqualitas rerum æstimatur ex conditione personæ & illa per se concurret ad ipsam æqualitatem, ibi est propositio Geometrica: Minor, ita se habebit. Atqui in pœnarum inflictione per se ad ipsam æqualitatem concurret conditio personæ.*

55. Hic quamvis duæ nobis aperiantur semitæ, quarum unâ electâ omnem declinare possemus difficultatem. Ut demonstratum demus, (1) vel esse pœnas quasdam, in quarum irrogatione per se concurret ad æqualitatem constituendam conditio personæ, (2) vel illum delicti & pœnæ æstimationis actum pertinere ad irrogationem pœnarum, & habere proportionem Geometricam: Ultramque tamen experiemur.

56. I. Exemplum huc, ne aut in nimium dissertatio nostra extendatur, aut unum idemque ad nauseam repetatur, referimus illud, quod infra, de verberante Magistratum, habetur.

57. Ex illo luculenter apparet (1) dari quasdam pœnas, in quarum irrogatione ad constituendam æqualitatem concurret per se conditio personæ. Enim dum ibidem à Legge, ceu præsupponitur, jubetur, ut respectus illius habeatur, necessariò fit, ut, quando secundum Legem Judex operari vult, conditionis rationem spectet; Jam verò cum eo fine spectetur, ut pœna gravior constituatur, & ex illa ipsa constitutione demum resultet æqualitas, personis agenti & patienti secundum Legem conveniens, quæ nec sine consideratione dignitatis taliter, qualiter esse debet, fieri possit, sequitur omninò, quod necessariò & per se in pœnæ illius irrogatione concurret, sed hac de re inferiùs plura.

58. (2) Quod non aliud, nisi proportionis Geometricæ ibidem usus sit; illumque actum, sive æstimationis etiam actus intiruletur, requiri ad pœnarum irrogationem. Quod in super probari potest. *Quia irrogatio pœnarum omne id, quod ad pœnarum justam constitutionem pertinet, includit: Jam*
v.

v. ad justam constitutionem pœnarum pertinet tam æstimatio delicti, quam æstimatio delicti commensuratio pœnæ. Unde pœna ipsa æstimatio dicitur (a) 2. Quia actus illi habent unum idemq; subjectum, quod est Judex, qui quatenus Lex animata, actionum humanarum & legum peritus est, utrumque actum exequitur. Præterea unum quoque idemque est delictum & id, quod æstimatur, & id cui pœna adæquatur, unæ eademque personæ, unus idemque modus operandi quo venit ad finem, aliàs n. mensurandum non fieret ad mensuram, unus idemque finis, qui justum est. Nullaque amplius ipsorum differentia, nisi quod unus actus sit prior, alter posterior, quod prius & posterius includit unica pœnarum inflictio. At de his duobus actibus alibi. 3. Quia ut plurimum eodem etiam fine, quò scilicet bene meritum & quantitas præmiorum æstimetur; in præmiis distribuendis fit, ut conditio personæ adhibeatur.

(a) arg. l. respiciendum 11. & l. sanctio 41. in fin. ff. de pœn. ubi Jct. Papinianus ait: Non esse verisimile, delictum unum eadem lege variis æstimationibus coerceri; Quibus Cujacius motus in π. de pœn. definit pœnam delicti æstimationem.

59. Hac eadem viâ, quâ res non succedit, paulò alio modo nova aggressio fit. Respondetur n. dupliciter intelligi posse, quod dicitur, in irrogatione pœnarum haberi respectum ad personas.

1. Quantum ad æstimationem delicti & pœnæ in se.

2. Quantum ad æqualitatem quæ inter pœnam & delictum, postquam ex personarum conditione æstimata sunt, certa proportione constituenda est.

Si priori sensu dubitatio loquatur, verum esse, quod in irrogandis pœnis habendus sit respectus ad conditionem personarum. Verum enim vero sicut non statim, qui res metiatur & æstimet, etiam æqualitatem inter eas constituat, ita nec respectum personarum, quatenus ad æstimanda tum delicta tum pœnas in se necessarius sit, vel Arithmetica proportione obesse vel Geometricam præcisè constituere posse. Actum enim metiendi seu

estimandi sive rerum pretia, sive actionum merita, naturam priorum esse, constitutione equalitatis.

60. Si v. dabitatio superius allata in posteriori sensu accipiatur, falsum esse, postquam delictum & poena in se estimata, quod necessarius sit personarum respectus, seu quod tunc cum inter delictum & poenam presuppositam eorum estimatione, equalitas constitui debeat, persona non sint pro equalibus habende. Nam personas, inter quas jus sit, esse partem ledentem & lasam seu injuriam inferentem & injuriam patientem, qua ob datam & acceptam injuriam inaequales factae, & ideo eam inaequalitatem per justitiam esse tollendam. Tollitur autem, si ledenti id, quod plus est, detrahatur, & in quantum fieri potest, alteri parti addatur. &c.

61. Sed ad haec regerimus: Confuse admodum praedictos duos actus describi; Prior n. dicitur (1) estimatio delicti & poena in se (2) & tamen cum respectu ad conditionem personae ac (3) opponitur alteri ex eo, quod equalitatem inter poenam & delictum non constituat, neq; (4) Arithmetica proportioni obstit vel Geometricam praecise efficiat (5) naturamq; prior sit altero.

62. Alter actus dicitur equalitatis constitutio (1) inter poenam & delictum, (2) postquam illa ex personarum conditione estimata sunt, (3) ad certam proportionem (4) opponiturq; priori, quod nulla hic attendatur personarum prerogativa, sed illa pro equalibus habeantur sintq; (5) personae injuriam inferens & patiens, (6) per id inaequales factae (7) quibus jus ob id administretur, (8) quod fieret, si ledenti id, quod plus est, detrahatur, & in quantum fieri potest, alteri addatur.

63. Ad probandam confusionem horum actuum referimus, & huc, ut alia sicco pede praetereamus, ex Aristotel. 5. Eth. N. c. 5. allegati exempli schema, quod sic habet:

Magistratus in se estimatus	} 8	Civis v. in se 2
repraesentat 4. cives qui		estimatus
efficiunt		

Esti-



Æstimatio delicti, verberationis (factæ unico civi) exhibet. } 3.

Æstimatio pœnæ (respectu Magistratus) erit. } 12.

64. Jam quæro, ad quemnam prædictorum actuum hoc schema referre velis? Dicis forte ad priorem, & referes huc particulatim Magistratus æstimationem in se; quæ octo efficit; & civis quoque æstimationem quæ 2. continet: Verum enimverò eo ipso, quo vides æstimationem factam esse, vides respectivè comparationem factam esse inter personas & personas, interque dignitates & dignitates, atque ita proportionalem æqualitatem in eo actu adesse, quod tamen tuæ assertioni contrarium.

65. Inquies, est quidem æqualitas, sed ad aliud, non ad delictum & pœnam, quam hic constituat Justitia particularis: Id assumo & per hoc corruet, quod æstimatio delicti & pœnæ in priori actu fiat cum respectu ad conditionem personæ præsentis: quid ergò amplius ad primum actum referes? Perges, verberationem & pœnam; Hic autem vel pœnam ad personas æstimatam intelligis, quæ est 12, & ita actus posterior frustraneus, & æqualitas unico actu constituta est: aut verberationem & pœnam in se æstimatam citra ullum respectum ad Magistratum patientem, & tunc pœna non 12. sed sicut delictum extra illam *ἰσότη* consideratum 3. erit. Si hoc, itidem falsum erit, quod dicitur æstimationem delicti & pœnæ fieri in priori actu ex respectu ad personam.

66. Prevideo, fore, ut ad aliam te vertas partem, & hoc schema ad posteriorem referas: At statim ex terminorum positu elucescit (1) constitutionem æqualitatis non esse solum inter pœnam & delictum, sed insuper inter personam & personam faciendam. (2) pœnam & delictum non esse ex conditione personæ æstimatam, ut & ex jam dictis liquescit, sed adhuc æstimandam, ad certam proportionem. proinde (3) omninò necessarium esse, attendi respectum personarum, nec posse semper personas pro equalibus haberi; & illas (4) non tantum per injuriæ illationem esse inæquales, sed etiam per *αἰσῶν* esse inæquales; posseque (5) tandem ope-

tio-

rationem per simplicem additionem aut deductionem non fieri; sed per comparisonem, quæ omnia data actuum descriptioni contrariantur.

67. Patet igitur hosce duplices actus non rectè constitutos esse, & ob id ex eorū assertionem non modò nihil contra nostrū argumentum inferri; sed etiam Wesenbecium aliosque ultra meritum confusionis accusari. Et quamvis inluper urgeatur, naturā suā distinctos eos esse; adeò quidem, ut æstimationis per se non Justitiæ particularis, sed alterius facultatis sit, & ad eum spectet, qui actionum humanarum & rerum peritus vir sit, minime vero ad Judicem qui teste *Arist. lib. 5. Eth. c. 4.* tanquam jus *ἐμψυχον* seu animatum h. e. lex loquens & viva juris vox, Juris executor, minister & interpretis (a) est, verius tamen est, prædictum æstimationis actum ab ipsius officio non deviare & esse alienum. Et quamvis in actu æstimatorio interdū quidā termini occurrant, quorum æstimationis in se ad Judicem non spectet; sed v. g. ad agricolam & Medicum &c. aliter tamen sese res in delictis & pœnis habere videtur. Nec credendum est, Judicem eo respectu, quo est jus animatum, per accidens esse actionum humanarum & Legum peritum: Sed potius si talis non est, nec Jus propriè animatum est. Cæterum non negamus hosce actus alio considerandi modo esse distinctos & diversos, quod demonstrandum alii tempore reservamus.

(a) *Giphan. comm. in c. 4. lib. 5. Eth. pag. 370.*

68. Interim quamvis hæc ita sint, ut appareat argumentum nostrum suo adhuc stare talo, & ob id non opus sit ulterius excurrere. Attamen cum & ad prosyllogismum & substituta fundamenta, quædam afferri soleant, quæ & ipsa scrupulum cuiquam movere possint, non omitteremus & illa breviter perlustrare.

69. Respond. v. ad locum *Aristotel. 5. Nic. 5.* illum nequaquā voluisse, quod pœnæ secundū Geometricā proportionē infligi debeant, sed contrarium potius, dum Pythagoreos, qui jus talionis statuebant, ad absurdum deducere voluerit, eò quod stante jure talionis, Arithmetica proportio
in

in poenam irrogatione servari non possit: id nos negamus. Non enim solum tam ex commutativæ quàm distributivæ justitiæ natura Aristoteles contra Pythagoræos, sed etiam ex Geometrica proportione magis, quippe quæ magis recedit, à jure talionis, disputat, idq; ex contextu haut difficulter colligi potest. Ita enim ipse; *Jus porrò talionis neq; ad id jus quod in distributione bonorum versatur, neq; ad id quod ad emendationem factorum valet, accommodari potest;* cui conclusioni postmodum quædam subjicit exempla.

70. Postquam enim fieri possit, ut civis verberet Magistratum, hisq; personis duabus inæqualibus æqualitas constituenda sit, contingeret, si per Jus talionis efficeretur, ut inæquales personæ, quarum una superet alteram, acciperent æqualia, quod non modò injustum, sed & absurdum. Proinde aliud quærendum medium, quod & personæ superanti & personæ superatæ æquale esset, id quod medium Geometricum, ut ex schemate supra posito videre est.

71. Ibi Magistratum *quatuor cives* repræsentare ponitur, qui vero civem læserat, 3. luere; Jam cum in Magistratu *quatuor cives* comprehendantur, sequitur, ut sicut se *quatuor cives* h. e. 8. habeant ad *unum civem*, qui est 2, ita poena verberantis *quatuor privatos* ad verberantem *unicum privatum*; sed 8. ad 2. habent se ratione *quadrupla*. E. etiam poena 12. se habebit in ratione *quadrupla* ad privati verberationem tanquam 3., quia ter 8. faciunt 24. & bis 12. 24. Hic si quis vellet proportione Arithmetica secundum eum, qui ab adversa parte dicitur, modum, procedere, næ ille facile impingeret. *Terminis enim ita positis*

<i>Magistratus</i>	{	2	}	8	<i>Privatus</i>	}	2		
<i>representans</i>		2					<i>verberans</i>		
<i>priv.</i>		2							
		2							
<i>verberatio privato facta.</i>				}					

detraheret Magistratus à 8. civ. qua respectu privati efficit { 2 } 6.

C *illamq;*

illamq; a³ξia adderet verberationi privati, tunc 3. fierent novem,
 quæ pœnam constituerent, ita factâ operatione.

Magistratus	2	Privatus	2.
deducta a ³ ξia			
Verberatio			
privato facta		Pœna exinde	
cum a ³ ξia Mag. 9.		constit.	9.

Cum tamen pœna 12. esse debeat, quod sic probo: Unus verberans
 privatum accipit 3.

Jam Magistratus	{ 2 }	ergo accipiat	{ 3 }
representat	{ 2 }	verberans Ma-	{ 3 }
	{ 2 }	gistratum	{ 3 }
	{ 2 }		{ 3 }
	8.		12.

Hæc, rem quidem declarant, chartas verò & tempus nimium
 quantum absumunt, quare abrumpere cogimur.

71. Ad LL. Civiles pro stabiliendâ propositione mi-
 nori adductas. Rr. Quod illæ si quicquam, hoc saltem probent;
 equalitatem in pœnarum irrogatione secundum Jus Civile Rom.
 esse ex conditione personarum æstimandam, & sic de Jure Civili
 pœnas secundum istum respectum personarum Geometricâ propor-
 tione infligendas esse; malè autem exinde inferri, id absolute ju-
 stum esse. Hoc si ita factum tectumque relictum fuisset Jctis,
 omnes se ab hac quæstione facile liberare potuissent, neque
 pugna ulla mota fuisset. Verùm accuratius Leges ponderandi
 quid obvenit? In effectu idem quod Jctis: nimirum LL. non
 alio modo respectum personarum in pœnis irrogandis urgere,
 quàm ut illo vel ad delicti vel ad pœnæ æstimationem opus sit, in
 quantum justitiæ rationem habeant; Hoc autem, quantum ad
 ipsam equalitatem planè per accidens esse, nec proportioni Arith-
 meticæ vel tantillum detrabere. Prius sano sensu acceptum nobis
 non repugnat: Posterius verò nemo persuadebit.

72. Unde rectè excipitur, 1. Non per accidens, sed per se
 esse, quod in irrogandis pœnis ex personarum conditione consti-
 tuatur equalitas, quia hoc semper fit. Absolum autem esse, id fie-
 ri per accidens, quod semper fit, (nec aliter fieri potest.) (2) Non
 obstare, quod respectus iste personarum ad delicti & pœnæ æstima-
 tionem pertineat, cum eo sine in Geometrica proportione personæ

conditio, observetur, ut bene meritum & premium aestimari possit.
3. Falsum esse, quod non obstante diversa personarum conditione
pœna nihilominus juxta proportionem Arithmeticam delicto ad-
æquetur, aliàs enim Comparativi illi mitius, lenius, severius fru-
stra & sine effectu in legibus proponerentur.

73. Nec sufficienter ad ea respondetur: Etenim quod
primum concernit; *Esi non simpliciter dictum sit*; quod sem-
per est, (sed cum addidamento, nec aliter se habere potest,
quæ posteriora verba, maximum huic rei lumen afferentia,
omittuntur) illud non dicitur esse per accidens. Tamen cum
*Aristot. lib. 5. Metaph. c. 2. & lib. 4. cap. 30. tali utatur propo-
sitione; Quodcumq; non semper, neq; ut plurimum est, hoc dicimus
accidens esse; & secundum accidens esse, quod aliquando fiat; v.
g. Fabrum sanitatem fecisse, hominem album esse &c. (Hinc etiam
ii, à quibus hæc contra nos urgentur, per accidens fieri dicunt,
quod raro fit, nec ut plurimum v. g. per accidens esse, ut duo, vel
plures delinquentes concurrant:.) Afferere non veremur, illud ad-
huc stare, ut quod semper fiat, per accidens non fiat.*

74. Objicitur: *Materiam primam per se neq; quid, neq;
quantum esse, eam tamen accidere, ut substantia sit, quatenus scil. ipsa
sub formâ existat, ex Arist. lib. 5. Metaph. c. 3. Sed materia sem-
per existit sub forma, Ergo semper est substantia, & tamen per ac-
cidens est substantia. Non diffiteor equidem, hanc instantiam
aliquid subtilitatis habere, utpote principia, & naturam re-
rum naturalium principii, quod materia prima, & propter
tenuitatem naturæ suæ, abstrusæ admodum considerationis
est, (quo respectu Augustinus ait: *conari nos materiam cogno-
scere ignorando, & ignorare noscendo;*) concernentem, ut pro-
inde earum virium haut esse vidëar, quo me hîc extricare
queam. Pro me igitur respondeant Philosophi.*

75. Ita verò hi: 1. Materiam primam esse substanti-
am incompletam in potentiâ passivâ ad formas partim edu-
ctivâ partim receptivâ, & ideo principium, ex quo res natu-
ralis fit, non per accidens, sed per se tanquam iuncto
primo (a)

(a) *Arist. lib. 1. Phys. c. 9. text. 52. & 2. de anima tex. 2.*

D 2 ibi:

ibi: substantia vel est materia vel forma vel compositum. & d. c.
3. lib. 7. Metaph. ibi: Et item materia substantia est. Nam si hæc
non est non substantia, quæ alia esset, fugeret nos Dn. D. Jacob.
Mart. lib. 2. part. Metaphys. sect. 4. th. 64. & seqq. p. 765. & s. et.
6. th. 4. ac seqq. Jacobus Inst. Phys. p. 16. & seqq. Eustach. à S.
Paulo, 1. part. Phys. disp. 2. q. 2. p. 18. & 19. Wendelin. Contempl.
Phys. c. 1. part. 1. sect. 1. p. 93. & seqq.

76. 2. Ad rei naturalis constitutionem tanquam par-
tes concurrere materiam & formam, & utramque immedia-
tè per suam essentiam, ita sc. ut materia recipiat formam, &
forma reciprocè seipsam exhibeat & communicet materiæ,
eamque ætuet & sic mediante unione ista seu aptitudine mu-
tua producat compositum. Quam unionem non accidens,
sed modum quendam substantialem dicunt adq; substantiæ
prædicamentum referunt, Jacobus d. l.

77. Quæ si vera sunt, exinde satis manifestum fit, ma-
teriam tum in se absolutè ac abstractè, tum concretè consi-
deratam esse substantiam & ens per se: Cum proprium esse
habeat, nec sit in alio, ut esse à subjecto habeat; quia nec in-
forma est, tanquam in subjecto, neque in composito, ita ut
ab eo esse habeat. Wend. d. l. p. 105.

78. Unde quid ad locum Aristotelis objectum respon-
deri possit, quivis facilè videt; Aristotelem scilicet non sim-
pliciter dicere, quod materia per se neq; quid sit, neq; quantum,
sed hoc velle, quod non sit ens per formam determinatum & sub-
stantia completa. Materiam enim ibi in se considerat, tanquam
ens extra suas causas constitutum; Non verò quatenus est cum
formâ unita; At illa, inquit, substantia, que ex ambobus, dico
autem ex materiâ & formâ est, omittenda est; posterior enim &
manifesta est. Manifesta verò quodammodo etiam ipsa ma-
teria.

79. Et ita etiam exaudienda sunt illa verba: Ex his
itaq; speculantibus accidit, substantiam esse materiam: Verbum
enim, accidit, non hic significat, per accidens; Sed conjungen-
dum est cum vocibus: Ex his itaque speculantibus. Et cum in
Græco textu habeatur vocula $\sigma\upsilon\upsilon\lambda\lambda\alpha\iota\upsilon\varsigma$, nihil aliud denotare vi-
de-

detur, quam convenit, consentaneum est; quo sensu sapè apud Aristotelem, accipi testatur Scapula in Lexic. Imo licet imperfonaliter sumatur, & ad posteriora referatur, tamen non illicitò idem erit, ac si diceretur, per accidens materiam esse substantiam; Si enim materia per accidens esset substantia, sequeretur, quod & per accidens uniretur cum formâ, per accidens causaret formam, nec non per accidens concurrat ad constitutionem compositi, quæ omnia à veritate ex mente prædictorum Philosophorum sunt aliena, quorum etiam hæc controversia propria sit & maneat.

80. Eiusdem farinae est, quod de levis & gravis motu profertur; Nimirum ut, qui removeat, quod impediabat, grave vel leve moveat per accidens. Semper autem fieri, ut remoto impedimento grave deorsum & leve sursum feratur: posse igitur aliquid per accidens esse, quod tamen semper fiat. Committitur enim hic ignoratio Elenchi, idq; pro me ostendat Arm. de Bello visu tr. 2. c. 246. p. 346. Est autem sciendum, inquit ille, quantum ad causam per accidens, quod aliquid possit dici causa per accidens dupliciter; uno modo ex parte causæ alio modo ex parte effectus; ut si dicatur causa per accidens alicujus quod accidit ei, quod est effectus per se & c. ut remotio prohibens dicitur causa per accidens & c. itaq; eo respectu, quo removeatur impedimentum dicitur grave & leve per accidens moveri, non vero eo, quo semper istud deorsum, sive hoc sursum fertur vide sis Dn. D. Jacob. Mart. tr. de causa peccati disp. 3. §. 17. & seqq. & §. 47. ubi dicit: illum qui impedimentum removeat, verè ac propriè loquendo, motus illius deorsum & hujus sursum causam vel per se vel per accidens nequaquam esse; cum ille motus per se fiat, sed tantum remotionis impedimenti causam, & quidem vel per se vel per accidens. Per se, quando quis data operâ illam removeat; per accidens, quando agens aliud intendit, & ita præter suam intentionem removeat. Hæc ille.

81. Porro non percipere possum, quid adversetur, quod Aristoteles lib. 1. poster. Analyt. c. 4. text. 9. inter modos dicendi per se & per accidens, illum etiam referat, quo per se dicimus esse,

esse, quod propter se unicuique inest. Certè neque litera, neque animus Aristotelis nobis inuisus est, sed applicatio: Intueamur exemplum ab Aristotele prolatum & res fiet manifesta. Si ambulante, inquit, aliquo fulguravit, accidens est; Addit rationem: propterea, quod fulguris causa non est ambulatio, sed dicimus hoc accidit. Quae vero propter se cum alio sunt conjuncta, ea per se sunt. Veluti si quis jugulatus intereat, id per se fieri dicimus, quando interitus causa est ipsa jugulatio; neq; id forte ita contigisse dicimus, sed quia jugulatus erat ob id mortem obiisse. Sic quando Nobilis delinquens punitur mitius, id per se fit. Nam licet accidens sit, Nobilem delinquere, nec ideo punitur quis, quod sit Nobilis, vel in aliâ dignitate constitutus, quia tamen ideo, quod sit nobilis, mitius punitur, ne pœna delicto fiat gravior, & dignitas persona cum iis, quae ab eadem dependent, influat in esse pœnae, sanè non accidit, Nobilem vel in alia dignitate constitutum delinquentem puniri mitius. Praesertim cum eadem quoque ratio sit praemiorum distribuendorum; Quia & ibi dignitas non simpliciter praemium, causat (ob bene meritum enim quis praemio afficitur;) sed tantum praemium majus vel minus h. e. augmentum & decrementum praemii; sicut in nostro casu auctiorem vel diminutionem pœnae.

82. Quod ad 2. regeatur: Illud non minus supra dilutum est, ac proinde ejus ulteriori refutatione supersedeo.

83. Demum nec quod ad 3. aut supponitur, aut superponitur, nobis quicquam obest, quin pro sit potius: (1) Esto enim, quod omnis pœna respectu ejus, cui infligitur, ratione mali habeat: Esto, quod plura sunt bona, quorum privatio cum pœna conjungitur, eo majus fieri malum: Esto, ob unum idemq; delictum aliam pœnam ignobili & aliam, qui honestiore loco natus est, constitui, ita ut hujus levior, illius vero gravior sit; Esto, id quod pœna Nobilis desit, suppleri per Nobilitatem & amissionem ceterorum, quae ab eâ prosuunt, bonorum. Hoc ipsum enim est, quod volumus, quodque Geometricam proportionem constituit.

84. Stat igitur immotum, comparativos *mitius gra-
vius* &c. non fictè, sed uti sonant intelligendos esse, & tum
LL. obtinere quod ipsa intendunt: Nec semper necessari-
um esse, ut pœna solum delicto, sed delicto & personæ exæ-
quetur, & ut Ictus loquitur *in l. 18. §. 9. D. de Jur. fisci*, pœnam
delinquens patiatur dignam suæ personæ, neque à iudice,
suo officio secundum LL. præscripta hoc modo fungente
exorbitari.

85. Ut ergò per hæcenus dicta, patescit, quod & fun-
damenta, quibus nostra inniti dicitur hypothesis, adhuc in-
concussa sint: Ita supersunt tantum, quædam, quæ in gene-
re assertionem nostram dubiam reddere videntur, Nullius
autem roboris est:

86. 1. Pro Arithmetica proportione loqui naturalem
rationem & ipsam æquitatem. *Cum hæc magis pro æqualitate,
atq; ita pro Geometrica æquè ac Arithmetica loquantur.*

87. Personas, quoad pœnarum irrogationem dupli-
cis generis, esse & vel (1) lædentem & læsam: *Inter has enim
dari interdum proportionem Geometricam ex supra allato exem-
plo obvium sit; Nec obest id, quod ex Arist. lib. 5. Eth. Nic. c. 5.
(mibi c. 4.) adduci consuevit: Pro nobis enim est, & compro-
bat, quasdam pœnas Arithmetica proportione exæquari debere,
quoties scilicet & quando personis utatur lex tanquam æqua-
libus.*

88. Vel (2) plures delinquentes, inter quos dupliciter
comparatio fieri queat: (1) quatenus per omnia idem sit de-
lictum eorum. (2) prout diversa & inæqualia eorum deli-
cta sint: & ad posterius dici: (1) ibi causam augmenti & decre-
menti pœnæ esse gravius aut minus delictum. *Eo ipso enim
dum gravius & minus delictum statuitur; & sic hæc concurrens
agnoscitur, quæ unà cum delicto demum in pœnæ constitutionem
intrat, illamq; modificat.* (2) absurdum esse, id statuere; fe-
queretur enim, quod etiam in commerciis Geometr. æqua-
litas constituenda sit, quando, duo emptores, qui inæqua-
lem pecuniam, afferunt, à venditore etiam inæqualia accipi-
ant. *Hanc consequentiam nego, cum diversitas rationis subsit, &
inter alia rerum communio hæc deficiat.*

89. Nec dissimili modo, quæ contra prius inveniuntur, sese habent, nimirum personas, quibus in innogatione poenarum justum accidat, non esse duos, qui idem delictum commiserunt, sed duos, quorum unus sit delinquens, alter injuriam patiens, cum illi se invicem, si inæqualia habeant, haut convenire, & in jus vocare queant. Id an responsione indigeat, hæreo: Tum quod paulò ante concessum sit, inter plures delinquentes comparationem institui posse, tum quod præcisè non requiratur, ut ii, inter quos distributio inæqualiter fiat, se invicem in jus vocare possint; aliàs & in distributione præmiorum id contingeret; Imò nullam hîc video actionis instituentæ causam, quæ vel in jure reali, vel in jure personali consistere solet.

90. (3) Absurdum esse, si poena nobilis ad poenam plebeji duplo levior sit. Absurdum enim id non est, nec ullam absurditatem infert. Et si ad illo ipso exemplo, quod ad demonstrandam absurditatem adhiberetur, planius reddere cogit me necessitatis ratio, eaq; de causa subsequenter adjicio figuram,

A	— 2 —	B
Nobilis		Plebej.
6		3
2		2
2		2
3		3
16 poena.		8 poena.
C	— 2 —	D

Antè verò quàm ejus resolutionem aggrediar, velim neminem non latere, nos ex hypothesis terminos ita supposuisse: Ut enim aliàs nobis constat, secundum Arithmetorum præscripta, positum illorum ad proportionem Reciprocam fieri debuisse: quippe quibus maxima quadam est, ut quotiescunque auctis vel minutis momentis (quod probè notandum, cum & hîc Arithmetici velint ut ex momentis (v. g. ex a, b, c) non verò ex rebus ipsis (veluti delictis) incrementum aut decrefcentia proveniat) res contra minuantur vel augeantur pro ratione temporis, ponderis, pretii & mensuræ, utamur proportionem reciproca: (a) Ita tamen spero si quis Regulam illam: ut bono



viro majori, majora bona; minori minora; Malo majori
majora, non minora, malo verò minori minora, non majora
mala tribuantur (b) ritè observet, sibi non esse metuendum,
ne ob terminorum locationem impingat.

(a) Heiz, Busch. lib. 2, Arith, c. 3. (b) Lipp. in Ethic. de
Just.

91. Nunc acceptetur, Nobilis pœnam duplo majorem ple-
beii pœnâ esse, fiatq; comparatio; & sicut se habebit A. Nob. ad
B. pleb. ita C. pœna nobilis, ad D. puta pœn. plebei; Sed A. no-
bilis se habet in ratione dupla ad B. plebeium. Consequens igitur
est, ut etiam C. pœna nobilis ad D. pœnam plebei se duplâ ra-
tione habeat; Quod absurdum minimè est. Cum eo modo ope-
ratio Geometrica finem suum & quod intendebat, quodq; LL ipse
volebant, nimirum equalitatem comparatam consequatur.

92. Quemadmodum autem in terminis istis abstractis res
reperitur, eodem modo in concretis quoq; invenitur; Nam esto
quod secundum Geometricam proportionem inter totum compo-
situm ex personâ A. & re C. (quod ex figura nostra est: $\left. \begin{matrix} 6 \\ 16 \end{matrix} \right\} 22$)

& inter totum compositum ex personâ B. & re D. (quod nobis est:
 $\left. \begin{matrix} 3 \\ 8 \end{matrix} \right\} 11$) eandem rationem esse oporteat quæ fuit in terminis abstra-
ctis, & oculis tuis 22. & 11. ut 6. & 3. aut 16. & 8. se habere vide-
bis: Quibus ut istud, ita simul & hoc consequeris; Proportio-
nem Geometricam nec hic destitui sine suo proprio, led com-
paratam efficere equalitatem.

93. Igitur cum hæc ita sint; offert se nobis, quod ad argu-
mentum illud: Aut pœna Nobilis, quæ duplo levior dicitur,
equalis est delicto, aut inæqualis &c. quod pro obtinenda ab-
surditate affertur, rectè respondetur, ut, quoniam equalitas com-
parata ex proportione resultet; Comparatio autem nulla, nisi ad
terminos habiles fieri possit: Major propositio eo modo limitanda
sit: Aut pœna Nobilis quæ duplo levior (scil. respectu pœnæ
plebeji) equalis est delicto (scil. Nobilis) aut inæqualis.

94. Et dum instas: Imò etiam Nobilis pœna v.g. deportatio in
insulam (quæ duplo levior habetur pœnâ damnationis in metallū)
ad ipsum delictum Nobilis relata duplo levior est: Cum sacrilegiū
quod Nobilis commisit, tot bona & numeros in se contineat, quàm

E quod

quod plebejus. R. Oportet te poenam concretivè sumi, cum nobilitas suppleat, quod in collatione poenæ desit.

95. Cumq; hic aequalitas tibi obviet, & ex his cuivis conicere integrum sit, quomodo comparatio comparata esse debeat, sperare nolo, te fore regesturum: Imò in poenis quoq; concretivè h, e. in ordine ad personas puniendas consideratis, non aequalitatè simplicem, sed rationem quoq; duplā esse. Quia & in concretivè sumtis poenis duplex potest institui comparatio; una quando concrefcit persona cum re sua, & refertur ad aliā personā cum re sua & c. altera, quando concrefcit poena & ad illā personā, & refertur ad delictum illius personæ: in priori vi proportionis Geometricæ duplā rationem esse, necesse est, in posteriori verò ut aequalitas simplex educatur, flagitat ratio & lex, ipsiusq; iidem proportionis Geometricæ finis.

96. Subsistere omninò calamus meus non potest, sed hisce superaddere occasionis & utilitatis duco: quando poenæ Geometricæ in effectu æquales dicuntur, id à causa duplici dici: (1) quia ut supra ostensum, poena qualibet adequato suo subjecto aequalis est: vel (2) per similitudinem à Mathematicorum schola petitam; ibi enim inter cætera quibus, quod proportio Geometrica justè constituta sit, probatur, & hoc est; ut antecedentem primum cum suo consequente (v. g. è figura nostra 6. cum 8. quæ est persona Nobilis & poena ipsius adequata) & antecedentem secundum cum suo consequente (v. g. 3. quæ persona plebeji cum 16. quæ ipsius poena appropriata est) multiplicent; factumq; æquale

$$\begin{array}{r} 8 \quad 16 \\ \text{(ex. ca. } \frac{6}{48} \text{ \& } \frac{3}{48} \text{)} \text{ producant.} \\ 48 \quad 48 \end{array}$$

97. Huic nostræ figuræ si quis præmia distribuenda applicare velis, haut difficulter meherclè deprehendet, ovum ovo similis non esse, ac sibi invicem præmiorum & poenarum quarundam distributionem; Fiat periculum à cupiente ipsiusq; cum commodo fiet, & in opinionis nostræ stabilimentum.

98. Objicitur porrò: quod per accidens sit, ut duo vel plures in eodem delicto concurrant; Sed cui bono, subolere non possum.

99. Refero huc ex praesuppositis nostris, quatuor illa minima, quae in proportione requiruntur, h. e. tum res duas tum personas duas non semper, ut actu adsint, necesse esse, sed sufficere, ut vel una persona tantum & una res tantum actu adsint, alia verò persona & alia res tacite subintelligatur v. g. si soli Achilli ex omnibus Graecis dona dentur militaria, tunc hic una adest persona & una res: Sed & alia persona & alia res subintelliguntur, & comparantur, ita ut quae sit ratio Achillis ad reliquos Graecos ignavos & indignos, eadem quoque sit ratio premii, quod datur Achilli digniori, ad id, quod aliis non datur: Et hoc est quod alibi Grotio, quando si unus tantum aptus inveniatur ad munus publicum, non alia quam simplici commensione attributionem fieri ait, opponi consuevit.

100. Ultimum quod obijcitur est quod quicumque (sunt autem illi & Theologi, & Jurisconsulti, ipsius justitiae sacerdotes, & Philosophi eminentissimi) in poenis secundum proportionem Geometricam aequalitatem fieri statuunt, non rectè justitiae distributivae naturam scrutari dicantur, & quidem ex eo fundamento; quodcumque non est res communis illud non potest distribui; At quia poena non sunt res communis Ergò &c.

101. Priusquam ad hoc argumentum respondeamus, non possumus silentio involvere, vocabulum communis hic dupliciter accipi. 1. Ut significat rem, quae publica, totius civitatis, omnibusque ejus membris communis, nec non inter omnes cives distribuenda est. 2. rem communem pluribus in ordine ad communionem, & quae pluribus ut ei οὐκ ἐστὶν τὰ tantum communis est, prout lucrum in contractu societatis esse perhibetur. Priori modo rem communem justitiae distributivae differentiam specificam constituere Lumen illud Philosophiae & Theologiae Dn. D. Hornejus ex Molina & Valentia assertit, & hoc posito excludit posteriorem significandi modum, atque ita simul & Societatis contractum à justitia commutativa.

102. Mirum hic occurrit, quod eo non attento illi etiam, qui prae laudatum Dn. D. Hornejum contra praedictum argumentum ex hoc ipso fundamento urgent, ipsiusque sententiam sartam rectam conservatam cupiunt, in eo eidem obviant, ut res etiam illas, quae tantum ut communes sese habent, ad justitiam distributivam pertinere dicant: Sed has obiter saltem, & pugna ipsis Philosophis maneat.

103. Nos verò respondemus ad minorem, illum constanter negando: Cuius enim ex prioribus facile constat, poenas esse bonum quoddam Reip. distributivum & commune singulis ipsius sive alterius communionis membris delinquentibus & quidem vel actu aut potentia.

104. Quibus ita deductis abrumpo, nec quæ plura de Justitiæ specierum varia descriptione, dicere habeo, in qua ultra modum ipsi Philosophi discrepant, attextere locus est.

105. Pro coronide verò adjicio catalogum, qui pro Geometrica proportionem pugnant: & quidem ex Theologis & Philosophis sunt: Viri plurimum Reverendi & Excellentissimi, Dn. D. Martin. Caselius, Superint. Generalis Altenb. & Consistorii Assessor primarius, Dn. Patronus meus colendissimus in syst. Eth. de Justitiâ, Dn. D. Jacob. Martini, P. Witteb. celeb. in centuriis quest. Phil. Dn. M. Prætorius Prof. quondam Phil. Præct. in hac Salana part. com. phil. pr. sect. 12. punct. 4. Phil. Melanch. in comm. ad lib. Eth. Arist. Conimbr. disp. 7. in Eth. Arist. q. 2. Magir. in comm. super lib. 5. Eth. c. 3. Gol. lib. 5. Eth. c. 3. Gvalt. Donalds. synops. Eth. lib. 3. c. 7. Franc. Eustach. à S. Paulo ex congregatione Euliens. 2. part. sum. Philos. part. 3. tract. 3. disp. 2. sect. 3. quest. 5. Dn. Lic. Mullerus Prof. Math. Publ. Philosophus subtilissimus, Arith. Arist. th. 69. junct. th. 80. Alsted. System. Eth. lib. 2. c. 5. & c. Ex Jure Consultis sunt: Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi, Dn. D. Zacharias Prüeschentz, Consiliarius Sax. Vinar. & Juris Publ. Prof. longè celebratissimus, Dn. Mæcenas meus atatem observandus, qui in disput. sua pro Gradu Doctorali habita th. 1. dilectis verbis inquit: Magnū à suis in eo consecutus est applausū Conradus Hornejus dū delicta ad cōmutativā justitiā juxta quā pœna, secundū proportionē Arithmeticā instigenda veniūt, referenda esse contendit lib. 3. Eth. c. 13. nostrum non obtinebit, servaturi potius honorē qui sumus Wes in π . ff. de just. & jur. n. 11. Dn. D. Christ. Phil. Richter, Prof. Codic. famiger. & c. Dn. Patronus & Præceptor meus venerandus in prælectiōib. suis publ. sup. Inst. Dn. D. Sagittar. etiā quōdā hīc loci Prof. Phil. Præct. nominat. lib. 2. Exerc. Eth. 14. th. 25. & seqq. & in Exerc. Ethic. exot. 14. th. 14. Wes. in π . de J. & J. n. 11. Dn. D. Ludwell. Profess. in Acad. Altorfinā laudatissimus in notis ad paratitl. Wes. Harpr. ad pr. Inst. n. 25. Rittersh. com. ad Inst. p. 16. & 17. Theodor. Reinking. de Reg. Sec. & Eccles. lib. 2. cl. c. 8. n. 2. & n. 31. ac seqq. Gædd. ad l. 131. n. 13. D. de V. & R. S. Giphon. in c. 2. lib. 5. Eth. Arist. p. 353. in med. & alii plures à prioribus allegati.

106. Nunc sub finē, Te, à quo exordiū mihi fuit, iterū imploro Ò CHRISTE, qui delicta nostra tulisti & expiasti, fac ut ita omnes vivamus, quò à nobis & Geometricè & Arithmeticè-proportionales pœna procul & semper absint. Quo rerum statu ego minima pars, ab iis, quibus hac mea qualia qualia placuerunt, (sic cuiquam placere possunt) protectionem, quibus duplicerunt, remissionem & ab omnibus, si quid forsitan præter conditionem dictam sit, veniam spero, ut ipsi à me vixissent, prout par erit, omnes & singuli submissionem. Speraturus ruiscantq; & dæm in hac miserissima vita hujus miseria spero, cum timore & lassitiâ ejus

IVDICIVM, qVI Sapientia, Virtus & Veritas Tri-Vna.


1017

ULB Halle 3
003 007 09X



80





22.

~~XVIII.~~ 7. 15. num. 20.

2

RESOLUTIO PARAGR. A- CTORES SEDI- TIONIS, II. LEG.

XXXIIX. D. DE
POENIS:

1644, 2

P. 447.

Quam,

*Permissu Divini Numinis & Magnifici Jctorum
ad Salam Ordinis,*

SUB PRÆSIDIO

DN. GODOFREDI FIBIGII

Jcti, Consilarii Saxon. Antecessoris, & Adfessoris
Curia Provinc. Facult. atque Scabinatus in alma Salana
dignissimi,

*Domini sui, Præceptoris & Patroni æviternum
colendissimi,*

Publicæ & placidæ disquisitioni exponit

JOHANNES WACHENBACH,

Ifen. Autor & Resp.

ad diem Augusti.



J E N Æ

E Chalcographéo LOBENSTEINIANO.

M. DC. XLIV.

4



B.I.G.

Farbkarte #13

ntera
. R.
n. Go
mico
ua tir
quis
agit
ertice
aman
yprig
quò si
n Sch
tio m.
defen
eside
per
pollic
ria a
decor
diss
n tota
rranc
ribeb
Joh
t; cu
vis d
is v
o, del
gnur
os, q
s adi
arata
n Pat
I N

